



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-73. ———
SIGNAT. CLIOCCCXIII.



De
ACCURATO DISPUTAN-
DI GENERE

Tractatus Logicus,

Quem

in celeberrimâ Universitate VVitte-
bergenfi,

Divino adjuvante Numine,

pro LOCO

in Amplissimâ Facultate Philosophicâ

sibi benevolè assignato,

Publico Eruditorum examini

subjicit

M. MARTINUS CASELIUS,

Fac. Philosoph. Adjunctus,

PRÆSES,

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO Böhmi Regiomontano Borusso.

In Auditorio majori

D. 29. Maji. horis à 7. matut.

VVITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH I, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXIII.

13

De

ACCURATO DISPUTATIONE

DE GENERE

Tractatus Logicus

Summa

in celeberrima Universitate Vite-

bergensi

Divino edivante Numine

pro LOCO

in Universitate Philosophica

publico Examinando

Publico Examinando

Summa

M. MARTINUS LUTHERUS

Philosophus

Libri

Summa

CHRISTOPHORO KÖHNIGSBERGERO

in Halle

D. d. Mart. h. 1539

WITTEBERG

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

ANNO M. DC. XXXII





TRACTATUS

De Accurato Disputandi genere.

CAP. I. De

Disputationum Commendatione, Ob- jecto, Fine, Definitione & Divisione.

§. 1.



Ox Disputationis Origine Latina est descendens à *Etymologia.*
præpositione inseparabili Dis, & Verbo Puto,
quod propriè notat corticem resecare & purum fa-
cere; per translationem autem ab hortulanis ad
scholam est tra ducta & pro dīsserere, disceptare & colloqui u-
surpatur. Unde disputatio dicitur, *quod per eam veritas compute-
tur & purgetur, ut ait Lud. Vives l. 1. de Caus. corrup. artium.*

§. 2.

Commendant verò nobis Disputationum exercitia,
1. Naturalis proclivitas. Ut enim homo naturâ est ζῶον πολιτι-
κὸν teste Aristotele l. 1. Polit. c. mihi 2. ita etiam naturâ est ζῶον
λογικὸν, hoc est, animal discursivum. 2. Insignis necessitas, quæ
facit ut disputationum nullus sit finis, cum sapissimè veritas non
nisi per disputationes haberi possit. 3. Mentis nostræ cæcitas. Post
lapsum enim nostræ mentis & ingenii acies adeò est obscurata,
ut quemadmodum vespertilionum oculi ad mediam sese habent
meridiem: ita se habeant nostri intellectus oculi ad plerasque res
intelligibiles. 4. Veritatis difficultas. Cum enim falsitas sit mul-
tiplex, veritas tantùm unica, disputatione opus est, ut ex pro-
fundo puteo, in quo, Democrito docente, delitescit, in lucem
protrahatur, ut ita venustè admodùm Lucianus fingat veritatem
esse nudam subterfugientem & subterlabentem virginem. 5. Ad-

*Disputatio-
num Com-
mendatio.*



versariorum perversitas. Illi enim veritatem non tantum per ignorantiam, quod nonnunquam bonis etiam viris accidere solet: sed sæpissimè ex malitiâ contra conscientiam deserunt, & fictitiis suis argumentariunculis, potius nugis, falsitatem nobis obtrudere conantur. 6. Multiplex utilitas. Nam 1. disputationes gloriam Dei, fontem omnis boni, illustrant. 2. Veritatem occultam & nobis ignotam manifestant, cognitam declarant, declaratam confirmant, & ab omni falsitate separant. 3. Ignorantiæ nebulas dissipant & variarum rerum intelligentiam inducunt. 4. Ad diligentiam incendunt. 5. Ingenium & iudicium accuunt, augent & confirmant. 6. memoriam adjuvant. 7. Sensus delectant. Et summatim: animæ, fortunæ atque corporis bona afferunt. 7. Christi Apostolorum & aliorum Doctorum Autoritas. Quoties enim Christus cum Diabolo, cum Judæis, Pharisæis, Scribis & Sadducæis disputationis ferram reciprocauit? Quoties Apostoli & inter illos in primis electum illud DEI organum Paulus cum variis sectis congressus est? Et quid de S. Stephano dicemus, qui tanto fervore & dexteritate cum quibusdam è Synagoga disputavit, ut sapientiæ & spiritui ejus nemo potuerit resistere, teste S. Luca Act. 6. 9. 10. De aliis præteritorum & nostri seculi Doctoribus clamant libri Eruditorum manibus triti, loquitur quotidiana experientia. Denique in commendationem horum exercitiorum multa sapientum encomia proferre possemus, nisi instituti nostri ratio nos ad alia transitum facere juberet.

Objectum.

§. 3. Jam verò de materia seu objecto disputationum agendum est. Id nobis constituit *Philosophus l. 1. Top. c. mibi 9. quando inquit: Non oportet omne proplema, aut omnem tbesin in quaestionem vocare, sed eam de qua aliquis dubitare possit, quæ ratione indigeat, non pœna aut sensu. Nam & qui ambigunt, pergunt Philosophus, sint, necne sint Dii colendi, & amandi parentes, supplicio coercedi sunt: & qui, sine albanix nec ne, sensu carent. Sit eò nobis constitutum objectum disputationis quæstio dubia & controversa, quæ ab homine decidi potest.*

§. 4. Quamvis autem de omnibus dubitationem admittentibus

tibus disputari possit, non tamen statim ventilationi subjicienda sunt omnia, cum quædam honestas non permittat, alia Reip. falus, quæ suadet, ut utilia & necessaria ad ædificationem facientia proponamus, prohibeat. Ut ergò non possumus disputare de iis, quæ captum mentis nostræ superant & à nobis planè cognosci nequeunt, v. g. de exacto arenæ maris & hominum præteritis seculis vel natorum vel mortuorum numero. *Non enim est disputandum de iis, quorum nimis remota & difficilis est explicatio, adeoq; dubitatio major, quàm ut eam ferre possit exercendi consuetudo, rectè iterum monet Aristoteles loco jam laudato:* Sic etiam non debemus disputare primò de manifestè veris & perspicuis, quæ nemo negat, aut facilè in dubium vocat. Cum enim disputationum finis principalis sit veritas, secundarii verò nostrum exercitium & proximi tentatio, vel parùm vel nihil talis disceptatio ad hos fines faciet. Unde iterum docet *Philosophus l. c. non esse disputandum de iis, quorum in promptu & facilis est explicatio.* Ubi tamen hoc monendum duco, aliquando posse ex his quædam subjici ventilationi, si tam stultus inveniatur, qui ipsa in dubium vocet & incautos ac simplices perturbet. *Respondendum enim est stulto ad stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, monet Sapiens Prov. 26. 5.*

§. 5. Quod autem diximus de manifestè Veris, illud etiam de aperte falsis, & quæ nemo defendit, nisi qui cerebrum in calcaeo gerit, intellectum volumus. Ut enim Vinitor non potest amputare vites, quibus nulli sunt ex succi palmites, nulla farmen- ta emortua, nisi furculum succi plenum & non rarò totam vitem violentâ sectione perdere stultè conetur: ita si de quæstione non disputabili, sed vel aperte verâ, vel notoriè falsa, disputare attentaveris, non nisi sophisticis nugis agere poteris, quibus veritatem obscurabis & minus oculato glaucoma objicies, quæ res & Auditoribus molestiam, & Reip. perniciem creabit.

§. 6. Tertiò verò non debemus facilè disputare de iis, quæ vel sunt ipsa religionis principia, vel aliàs planè pietatem evertunt. Nam & sapientes Ethnici, ut supra ex Aristotele diximus, tales pœna dignos judicarunt. Quod si tamen extrema hominum

Stultitia, vel adversariorum impietas, nos adigat, vel etiam ordo systematis, quod fortè aliquis conscribit, requirat, id fieri potest, cum stulto respondendum sit, ne sibi sapiens videatur, *Prov. 26. 5.*

§. 7. Quartò non debemus disputare de fabulis, & aliis rebus inutilibus, vanis, ineptis & ridiculis: sed de rebus gravibus, utilibus atque necessariis, uti graviter monet *D. Apostolus 1. Tim. 1. 3. 4. c. 4. 7. c. 6. 4. 5. 2. Tim. 2. 23. & Tit 3. 9.* Et ratio est in promptu. Cum enim ars longa sit, vita verò brevis, prætermisissis otiosis & inutilibus cursu velocissimo ad necessaria, honesta & utilia nos præparare debemus, quibus cognitis DEO inservire, religionem sanctam, Remp. salvam, & privatam sartam tueri & custodire queamus.

§. 8. Nec quintò de impertinentibus disceptandum est, hoc est, iis quæ alio loco & tempore pertractanda sunt, licet aliàs, sua utilitate non careant, cum id honestas requirat.

§. 9. Antequam verò hinc abeamus, quædam quæstiones adhuc decidendæ sunt. Quæritur ergò primò: An de principiis sit disputandum. Resp. Dist. de principiis ab utraque parte concessis, manifestè veris & primis seu universalissimis disputandum non est: Disputari autem potest de principiis dubiis, incertis & particularibus, si non ex propriâ superiori tamen disciplina.

§. 10. Vicina huic quæstio illa est: An contra negantem principia sit disputandum? Ad quam ex dictis Resp. quòd contra negantem principia vel omnia, vel omnium prima & certissima, vel etiam antea concessa disputandum non sit: Si autem particularia saltem, dubia & incerta principia negaverit omninò contra ipsum differere possumus, ut rectè præter alios docet *Cl. Excell. noster Scharffius in Th. Tr. p. 595.*

§. 11. Sed quæritur ulterius: An de rebus subtilibus & difficultibus sit discurrendum? Rep. Omninò, si ad nostram & Reip. utilitatem, Deiq; gloriam promovendâ faciant. Aliàs enim omnes fermè disputationes Metaphysicæ, Pneumaticæ & quàm plurimæ Physicæ essent omittendæ, quod non absq; singulari studiorum nostrorum fieret detrimento.

§. 12. Jam

§. 12. Jam verò de Fine disputationum agendum est, qui est duplex: Universalis, gloria DEI, 1. Cor. 10. 31. & particularis qui vicissim duplex, principalis s. primarius, & minus principalis s. secundarius. Primarius est veritas. Ad hanc enim principaliter omnia instrumenta Logica referuntur, & hujus gratiâ omnes discursus institui debent. Secundarii sunt quàm plurimi, quorum alii nos ipsos, alii proximum concernunt. Discursus enim instituere solemus, ut ignorantia nebulas dissipemus, eruditione & variarum rerum notitiâ crescamus, ingenium acuamus, memoriam magis magisque facilem, firmam atque felicem reddamus, proximi denique profectus exploremus.

Finis.

§. 13. Atque ex his patet, quod disputatio nihil aliud sit, quàm actus mentis, quo de quaestione dubia & controversa conferimus, ut verum à falso accuratè discernatur. A Thoma definitur, quòd sit actus syllogisticus unius ad alterum (opponentis ad respondentem & vicissim) ad propositum ostendendum.

Definitio.

§. 14. Succedit Divisio. Solent autem disputationes à variis distingui variè. Primò Disputatio alia est κατ' ἀνθρώπων, quando ex ipsis Adversarii hypothesebus, licet sæpè falsis, Adversarium convincimus: alia κατ' ἀλήθειαν seu πρὸς τὸ πρᾶγμα, quando quaestionem dubiam ex veris genuinis & legitimè applicatis principiis confirmamus, vel destruimus, licet ab adversario pro talibus non habeantur. Et hæc distinctio fundatur in Philosopho, qui lib. 2. de cælo c. mibi 13. tex. 80. ait. Omnibus nobis hoc consuetum est, non ad rem quaestionem facere, sed ad contraria dissentem: quæ praxis adhuc hodiè est frequentissima.

Divisio.

§. 15. Deinde disputatio alia est πρὸς ἑμᾶς, quando nec præsentem, nec vocaliter opponente adversario, operatione mentis aliquam controversiam tractamus, sive literis consignemus, sive non, & dicitur, ab aliis disputatio solitaria: alia πρὸς ἄλλον πρὸς καὶ ἑτερον, quando adversarius ipse contra nos suam causam agit. Et hæc proptiè est διάλεκξις, hoc est, colloquium, collocutio, aliis dicitur disputatio socialis.

§. 16. Ulterius verò, si respiciamus principia, ex quibus disputatio procedit, alia est ex principiis genuinis & legitimè applicatis,

plicatis,

plicatis, iisque vel communibus vel propriis; probabilibus vel necessariis; alia ex principiis spuris vel illegitimè applicatis.

§. 17. Denique ratione facultatum disputationes quædam sunt Theologicæ, quædam Juridicæ, aliæ Medicæ; aliæ denique Philosophicæ. Alias distinctiones mittimus brevitatis gratiâ, & pergimus ad

CAPUT II. De

Personis disputantibus, earumq; norma & moribus.

Efficiens.

§ 1. Efficiens disputationis sunt ipsi disputatores, Respondens scilicet & opponens.

§. 2. Respondentem dicimus, qui materiam controversam defendendam suscipit & contraria solvit. Estq; vel inferior, qui simpliciter & absque addito solet dici Respondens; vel superior, qui & Præses & Arbiter & Moderator dici solet, eo quòd partes extremas in viam revocet & controversiam dirimat.

§. 3. Opponens salutatur, qui theses Respondentis objectionibus suis destruere & oppugnare conatur, qui à Philosopho interrogans passim vocari solet.

Norma duplex

§. 4. Uti autem omnes alios: ita etiam disputandi artifices certam aliquam normam, juxta quam sua exercitia disputatoria instituant, observare oportet.

§. 5. Est verò illa cuilibet disputatori duplex observanda: altera quidem instrumentalis, quæ à non nemine modalis dicitur, altera realis, principalis & materialis. juxta illam veritas consequentiarum seu connexionum: juxta hanc ipsarum rerum seu sententiarum veritas est examinanda & dijudicanda.

Instrumentalis

§ 6. Norma instrumentalis s. consequentiarum est Logica, seu Regulæ Logicæ, quæ ab hominibus non sunt fictæ, sed animadvertente, demonstrata & ostensa, ut ex S. Augustino l. 2. de doctr. Christ. rectè docet Corn. Mart. in tr. de Anal. forma c. 5. ubi verba ipsius Beati Patris allegantur. Atque has leges neminem negligere oportet, qui legitime unum ex alio colligere voluerit, non aliter ac regulis

regulis Grammaticis, Arithmetis, Poeticis & Musicis nemo discedere potest vel debet, qui congruè loqui, ignotum numerum elicere, eruditum carmen conscribere, vel laudabile canticum componere gestit.

§. 6. Porrò uti res illæ, quas Tu vel sermone Grammatico eloqui vel numero comprehendere &c. desideras; in Grammatica & Arithmetica tibi non exhibentur, sed ad alias disciplinas reales pertinent, ex quibus etiam iudicium de iis sumendum est: ita nemo sibi imaginari debet, quasi Logica etiam de rebus ipsis & sententiarum veritate sibi iudicium sumat. Alia igitur norma tibi opus erit, quæ juxta variationem facultatum est alia atq; alia. Unde Consequentia Necessitas ex Logicis; sententiarum seu veritatis ex ipsis disciplinis dijudicanda est.

Realis.

§. 7. Atque ex his patet semper Logicè esse disputandum, cum sola Logica præbeat & explicet instrumenta & leges, quæ in omni disputatione sunt observandæ. Ubi tamen notandum duco, quòd non ille tantum dicatur Logicè disputare, qui expressis in certa figura & modo formatis syllogismis utitur: sed omnis ille, qui legitimâ utitur consequentiâ & leges Logicæ non negligit. *Vide si placet Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Mart. in Padiâ & Dn. Corn. in tr. de anal.*

*An semper
Logicè di-
sputandum
sit.*

§. 8. Ut ergò sibi contradicit, qui ait se eruditum carmen composuisse, vel ignotum numerum invenisse, vel bene locutum esse, & tamen simul affirmat, se neglexisse leges Poëticas, Arithmeticas & Grammaticas: sic quoque Oppositionem in appposito committit, qui fatetur, se hoc vel illo modo, & tamen non Logicè disputasse.

§. 9. Sed de his breviter hæcenus: properamus nunc ad mores disputantium. In genere autem notandum, disputatores pium zelum & veritatis amorem fovere debere, cum veritas sit omnis disputationis finis principalis. Unde consecutaria sunt.

1. Bonam intentionem & finem in utroque disputantium requiri.
2. Omnes præconceptas opiniones & præjudicia, quæ assensus & iudicij legitimi impedimenta sunt, abesse omninò debere.

*Mores &
Virtutes.*

§. 10. Deinde quoque omnes alii affectus, præsertim mali

B

sepo-

seponantur. Veritas enim non affectuum, sed rationis filiam se profitetur, hoc est, rationibus ostendi, haut affectibus obrui debet. Et affectus malæ causæ, invidiæ, inscitæ, non rarò temeritatis, signa esse solent.

Jesuitarum
impietas.

§. 11. In specie primò disuptatorem Pietatis studiosum esse oportet. Hæc enim est quasi anima omnis virtutis & actionis, quæ nisi ducat familiam, non nisi degeneres nascentur partus. Pietas enim ad omnia utilis i. *Tim.* 4. 8. & omnis sapientiæ initium. *Prov.* 1. 7. c. 9. 10. *Syr.* 1. 16. *Psal.* III. 10. Ad disputationem ergò accessuri seriò Spiritus S. implorent auxilium, & postea omni timiditate sepositâ animum ab aliis rebus avocatum afferant. Hinc detestanda est Jesuitarum impietas qui in Colloquio Ratisbonensi non modò in aliis actibus pias omiserunt preces: sed quoque in ipso primordio illas neglexerunt, donec jubente Maximiliano Principe Gretserus inchoavit illud: Veni sancte Spiritus &c: quod tamen non absque rubore, confusione & errore præstitit: ita ut alii Slavitiæ ipsum sufflando juvare coacti fuerint, uti testis fide dignus est *Dn. D. Cramerus in Extract. vnd ware haffrigen Bericht vom Colloquio zu Regenspurg.* Contra laudanda nostrarium pietas, qui singulas sessiones præmissis piis precibus inchoarunt.

§. 12. Deinde disputator observabit justitiam & modestiam, suum cuique tribuendo, gloriam scilicet Deo, & honorem collocutori debitum, sibi verò indebitum honorem non ascribendo. Exulent ergò & collegiis abeant, tanquam indigni venerando Disputatoris titulo, qui variis strophis, nugis, explosionibus, illusionibus, subsannationibus vel alio quovis modo alterius famæ & honori insidias struere non verentur. Rectè enim *Cornel. M. in tr. de anal. for. c. 10. p. m. 123.* Quibus, ait, pro argumento ad manum est convitium, neque refutasse se adversarium opinantur, nisi insigniter ei maledixerint, homines illi sunt furiosi, neq; unquam digni (verba sunt Philosophi modò laudati) quibus disputatio committatur, præsertim in rebus Theologicis, cum in illud sanctorum sanctum non nisi cum timore & tremore introeundum sit.

§. 13. Tertiò etiam familiaritas & mansuetudo Disputatorem

rem

rem commendant. Morositas enim & iracundia multum officit veritati. Absint ergò quos contendendi vexat pruritus & libido, qui, quando rationum pondera deficiunt, vel de sufficiente solutione aut erudita oppositione desperant verborum & gestuum aeerbitate suo collocutori molesti sunt, tanquàm iniqui in commune bonum socii. Ut autem hoc vitium radicitùs extirpetur, collocutores monentur, ne 1. nugis & conviciis alteri sint molesti, 2. ea urgeant, ad quæ dudum est responsum. 3. tolerabiles responsiones irredeant & exagitent, sed semper illius recordentur: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: Auditores verò, ne vitio vertant respondentem, si fortè alicubi titubaverit, vel etiam palmam omninò opponenti concedere coactus fuerit. Nam 1. memores oportet esse semper illius: Tu si hic esses, aliter sentires. 2. hominis est quædam ignorare. 3. in schola veritatis & vinci & vincere est laudabile, modò veritas obtineatur.

§. 14. Denique Candor & Taciturnitas Veritatis decet Patronos. Ille quidem, ne alteri affingant aliquam thesin, vel responsionem, quæ ipsi nunquam in mentem venit. Sic enim & mendacium & injuriam in proximum committerent, cum iniquum sit aliquem cogere ad id, quod ipse defendere nolit: Hæc, ne nimis interpellationibus finem disputationis, veritatis scilicet assecutionem, impediant. Unde alterum alter audire tenentur, quò & verborum sensus percipi, & aurea illa veritas è profundissimo Democriti puteo erui queat.

§. 15. Ut autem circa has & alias virtutes mediocritatem teneas, omnes circumstantias observabis. Neque enim de quavis materiâ cum quovis, nec omni loco & tempore differere convenit, sed in omnibus aurea illa mediocritas est tenenda, quæ à viro prudenti facilè invenitur. Sic v. g. cum protervis, imperitis & rixosis non facile congregiaris. Nam cum hi quacunque etiam ratione vincere tentent, satius est à disputando abstinere, ne ad id deducaris, ut malè disputes, & te cum veritate prostituas. Ita aliter cum juvenibus, aliter cum senibus, &c. agendum est. Quæ omnia specialius ob chartæ angustiam deducere non possumus.

*An inter po-
cula sit di-
putandum?*

§. 15. Unicum adhuc movemus de circumstantia loci. Multos scilicet invenias, qui ubivis datâ operâ, vel exigua saltem occasione exhibitâ, disputationes instituere solent. Quod vitium tam familiare est, ut multi à seriis discursibus ne quidem inter pocula ad hilaritatem & corporis recreationem instituta sese temperare possint. Contra quos facit, quòd ipsa prudentia politica jubeat, ne proximo molesti simus, quod sanè fit, si de seriis discurremus, ubi & quando jocosa sunt pertractanda, & quidem coram talibus hominibus, qui hilaritati student, quæ tunc impeditur, nec illas res vel intelligunt vel observant. Et quid quæso commodi ex talibus discursibus exurgit? sanè vel nullum, vel, idque rarò, planè exiguum, cum contrà sæpissimè videas exorientes altercationes, rixas, convitia, nonnunquam ipsa verbera, ad quæ à verbis descendere solent.

CAPUT III. De

Media.

Mediis ad accuratum disputandi genus necessariis, & in specie de varia rerum cognitione.

§ 1. Ad curatum disputatorem præter naturalem inclinationem quæ semper præsupponitur, juxta illud:

Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ.

duo imprimis requiruntur, nempe variarum rerum cognitio, & dextra rerum cognitarum applicatio.

§. 2. Ad rerum cognitionem referimus notitiam. 1. Linguarum. 2. Logicæ. 3. Metaphysicæ. 4. Principiorum & hypotheseum adversarij. 5. Quæstionum maximè disputabilium. 6. Illius disciplinæ ex qua theses ventilandæ desumptæ sunt, imprimis autem præsentis materiæ, quam examinandam proponit.

1.
*Cognitio
lingvarum.*

§ 3. Primò autem requirimus linguarum peritiam. Quamvis enim disputationes vernaculâ fieri queant linguâ, ita ut Germani Germanicè, Itali Italicè &c. discurrant: accuratus tamen disputator etiam alias lingvas novisse debet, quia 1. non semper cū plebeis, sed etiâ cum eruditis ipsi est digladiandum. 2. cōmuni &

& receptâ consuetudine disputationes Latinâ fiunt linguâ. 3. aliâs optimis Authoribus in omnibus facultatibus carebimus. 4. multi termini technici & reales in discursibus occurrentes commodè verti nequeunt. 5. aliâs hæretici & sophistæ nobis facilè imponent. Huc referimus multiplices vocum acceptiones, quarum cognitio disputatori perquam utilis est. *Nam quia fieri non potest, ut res ipsas ferentes disputemus, nominibus pro rebus utimur signis. Quemadmodum igitur illi, qui non sunt prompti calculos sustinere à scientibus decipiuntur, eodem quoque modo & in orationibus, qui nominum virtutis sunt ignari, per facile captationibus hallucinantur & ipsi disputantes & alios audientes, præclare ait Arist. l. 1. Elench. c. 1. Et c. 6. inquit: Difficile quidem est decidere, quæ similiter & quæ aliter dicuntur, sed qui hoc potest facere, ferme in procinctu est, ut videat verum.*

§. 4. Secundò Logicæ cognitionem requirimus. Hæc enim *Logica.* sola est, quæ explicat instrumenta ad omnem discursum necessaria: hæc sola explicat fundamenta consequentiarum: hæc sola aperit fontes; quibus sophistarum solvantur quisquiliæ.

§. 5. Neque est quòd objicias sufficere Logicam naturalem. Nam eandem non esse sufficientem post lapsum ad oculos patebit illi, qui aliquantò diligentius consideraverit rerum difficultatem, naturæ cæcitatem, hæreticorum perversitatem, sophistarum astutiam, virorum denique doctissimorum lapsus ex ignorantia commissos.

§. 6. Porrò Metaphysica disputatori accurato est necessaria. *Metaphysica* Ea enim sola explicat terminos generalissimos, distinctiones universalissimas & principia communissima, quæ in omnibus tractationibus & disputationibus occurrunt. Quomodo autem vel legitime ea ipsa adhibebis vel adversarios illegitime applicantes refutabis, nisi doctrina Metaphysicâ sis instructus?

§. 7. Sed & quartò illorum quibus cum digladiari velis novisse debes hypotheses & principia Adversariorum, quò in ipso conflictu eos non modò rationibus & scripturâ, sed & proprijs *hypothesium adversarii.* ipsorum principiis refellere queas. Hoc enim ipsorum existimationem diminuet, tuam sententiam & auctoritatem stabiliet,

eò quòd adversarius nolens volens veritati testimonium perhibere ex propriis cogatur.

*Definitio-
num & Ca-
nonum com-
munissimorū*

§. 8. In hoc etiam futurus disputator quintò incumbat, ut illas definitiones, canones & quæstiones seu controversias sibi reddat perquam familiares, in quas frequenter disputationes incidunt, & ex quibus oppositæ tela, respondentes pharmaca desumere possunt.

*Materia
presens.*

§. 9. Denique eam materiam, quam disputationi vult subijcere accuratissimè & intimè cognoscat, probeq; attendat quid in controversiam veniat, & quid à statu controversiæ alienum sit, Unde authores, qui de illa suas meditationes ediderunt, diligenter pervolvat & instar apum optima quæque exlugat, & in sua alvearia transferat.

CAPUT IV. De

Dextra rerum cognitarum applicatione & Officiis disputantium communibus.

*II.
Rerum co-
gnitarum
applicatio.*

§. 1. Dextram rerum applicationem voco, quando cognitio rerum, hoc est, terminorum & orationum eo sensu, quo debet, illisq; rebus quibus debet applicatur.

§. 2. Cum autem illa sit difficillima & non nisi à probè exercitato fieri possit, in primis exercitatione frequente opus est. Ut enim in aliis omnibus rebus celeritas & tarditas ab exercitatione pendet: ita & in Logica, ut docet *Arist. l. 2. Elench. c. 1.* Hinc *Cic. l. 1. off. Nec medici, inquit, nec Imperatores, nec Oratores* (addo ego: nec Logici) *quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magnâ laude dignum, sine exercitatione consequi poterunt. Ex similibus enim operationibus fiunt habitus l. 2. Nicom. c. mihi 1. Ut ergò edificando edificatores & cithara canendo citharædi efficiuntur, teste Arist. l. c. ita disputando disputatores evadunt.*

*Officia Dis-
putantium
Communia.*

§. 3. Quò verò faciliùs res cognitæ applicare & felicius te exercere possis officia disputantium tam communia quàm specia observanda sunt.

§. 4. Com-

§. 4. Communia vel præparatoria sunt vel ipsum conflictum concernunt. De illis sequentia damus præcepta:

1. Statum controversiæ accuratissimè ponant.

Quia 1. hic est materia litis, quæ exactè est definienda, ut sciat, de qua re disputetur. 2. aliàs frustra disputabunt, & cæcis pugnabunt ictibus. 3. aliàs Sophistæ ipsis facilè imponent. 4. aliàs injuriam facient adversario, quod non est boni viri, nec 5. legitima potest fieri contradictio. Et 6. *Arist. l. 8. Top. 5. mibi 2. ait: Profectò facilis non est differendi ratio, nisi quid sit id, de quo instituitur disputatio, intelligatur.*

2. Certa principia in quibus conveniant, præmittant. Qui enim in principio non conveniunt, multò minus convenient in iis, quæ ex principiis deducuntur.

3. Ea quæ supra cognitu necessaria esse diximus, diligentissimè repetant, argumenta in utramq; partem excogitent, simulq; quid objici, quid reponi possit inveniant. Tela enim prævisa minus nocere solent.

4. Conveniant inter se, uter debeat esse opponens, vel respondens. Sic enim uterq; meliùs se præparare ad sua poterit.

5. Exordio nec prolixo, nec arroganti, sed brevi modesto & scopo conveniente utantur, ne inutiliter tempus feratur.

§. 5. Quæ in ipso conflictu sunt observanda, sequentibus includuntur præceptis.

1. Uterq; disputantium utatur sermone. 1. recepto. 2. simplici. 3. claro. 4. tardo. 5. perspicuo. 6. brevi. 7. certas res significante. Voces enim sunt signa, quæ Auditoribus & collocutoribus nostros conceptus manifestare debent. Quâ ratione verò id commodè fieri potest, quando vel peregrinâ utimur linguâ, vel obscuro & nimium figurato orationis genere intellectionem impedimus, vel nimia celeritate & garrulitate collegam confundimus, vel denique prolixitate tædium creamus?

2. Tàm respondens, quam opponens sedulam det operam, ne vel per Sophismata vel per Stratagemata à scopo abducatur. Cui quidem ille præveniet, si consequentiarum regulas & doctrinam sophisticam accuratè intellexerit: hic, si legitimos respondendi modos observaverit, & vitiosos refellere noverit.

3. Uterq;

3. Uterque verborum suorum memor sit. aliàs enim contrà se ipsum facile aliquid statuere potest, & sic auscultantibus risum, vel misericordiam movebit.

4. Uterq; non tam autoritate, quàm ratione & scripturâ utatur. Liberè enim nulli obstricti philosophari debemus, cum Ciceroni etiam Demostenes, & Horatio ipse Homerus aliquando dormire videatur.

5. Uterque assuefaciat ex uno discursu plures elicere conclusiones, & ad absurdum deducere, cum fortius premere nequeat adversarium, quàm si manifestè falsa concedere cogatur.

6. Attendant, ne nimium inhæreant verbis, quando mens ipsa sana est: *λογομαχίας* enim graviter taxat ipse Apostolus 1. *Tim.* 6. 4. Quilibet tamen ita loquatur, ne verbis utatur intolerabilibus & planè alienum ac impium sensum continentibus. Ut autem hoc præceptum probè applices nota, 1. quòd Authores aliquando loquantur propriè & cautius, aliquando hyperbolicè incautius vel ex zelo pietatis, vel odio falsitatis, vel quia controversia nondum mota fuit. Cujus rei exempla allegat *B. Meis. Anthropol. dec. 3. disp. 23. q. 2.* quo casu amicè tractemus authores & liberius dicta non sinistrè nimium interpretemur, ut Pontificii *B. Lutheri* scripta interpretari solent. 2. aliquando authores assertivè & ex mente propria, aliquando conditionaliter vel etiam recitativè loquuntur. 3. multa videntur esse dicta absolutè, quæ sunt intelligenda comparatè.

7. Personas non permutent, nisi prius ita convenerint. aliàs enim cedent de suo jure & se suamq; causam periculo subjicient.

8. Quæ suprâ de moribus & circumstantiis observanda diximus, hîc uterque disputantium applicet.

CAP. V. De

Officiis Opponentis.

Officia Opponentis.

§. 1. Sequuntur specialia Opponentis officia, quæ iterum vel sunt præparatoria, vel conflictum concernunt.

§. 2. Præparatoria hisce exhibentur præceptis:

1. Repetitis

1. Repetitis iis, quæ supra futuro accurato disputatori necessaria diximus, accuratissimè perpendat, contra quæ opponere gestit. Expendat ergò theses, illarum ordinem & inscriptionem. In thesibus consideret omnes ambiguitates, distinctiones & limitationes, omissa & superflua, videatq; an statum controversiæ rectè formaverit.

2. Armat theses impugnantia inveniatur. aliàs enim suo officio fungi nequit. Ideoque 1. non temerario ausu, sed paratus & armis instructus accedat. 2. Videat ad quam disciplinam præsens thema pertineat. Sic enim facilius argumenta vel ipse invenire, vel ex authoribus desumere potest, ex quibus tamen cū delectu & mutato ordine atq; externo habitu argumenta proferat, ne suæ famæ maculam adspargat, & respondententi, qui eosdem authores perlegit, occasionem ad solutionem exhibeat.

3. Argumenta memoriæ infigat. Nimis enim tardi & ignavi ingenii indicium est, si argumenta non tantum à verbo ad verbum v. gr. ex Hippio vel alio absque delectu describat, sed insuper ex chartâ pueriliter recitet.

§. 3. Officia in prælio observanda generalia duo sunt, nempe objectiones movere & easdem urgere.

§. 4. Circa primum sequentia specialia observet:

1. Legitimè adversario contradicat. aliàs enim 1. turpis oriatur elenchi ignoratio & frustra dimicabit, cum hîc de aliis opponat, ille de copis proposuerit. 2. injuriâ afficiet. Respondentem, quem accusabit ejus, quod non intendit. 3. suæ famæ nocebit. Vel enim adversarius & auditores ipsum malitiosum & sophisticam, vel ad minimum rudem aut incogitantem judicabunt & sic vel justam indignationem vel aliorum risum vel denique misericordiam reportabit. 4. id requirit Philosophus, quando *l. 8. Top. c. m. 3. ait: Contradictorium thesi interrogans (opponens) semper concludit.*

2. Contra rem ipsam, & contra ea imprimis, quæ principaliter in quæstionem veniunt, non verò, nisi secundariò & paucissimis, contra ordinem vel quæ incidenter tradantur, opponat.

3. Falsitatem thesios duplici argumantationis genere ostendere

C

dere

dere conetur, directè scilicet & indirectè per deductionem ad in-
commodum.

4. Non tam authoritate, quàm ratione pugnet. Nam 1. ami-
cus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. Et 2. ni-
mium hebetis & tardi ingenii signum est, jurare in verba Magistri.

5. Argumenta syllogisticè proponat, non quidem ex abso-
lutâ necessitate. Nam & interrogando, ut Platonici solebant,
discurrere possumus: sed quia 1. Respondens sic potest faciliùs
mentem & scopum percipere, 2. Opponens responsionem me-
lius intelligere, 3. Sic tempus redimitur, & 4. majori cum fructu
auditores adhuc minus exercitati interesse queunt.

6. Si altera præmissarum probatione indigeat, eam continè
etiam non rogatus addat. Nam 1. faciet ad nostram laudem, sic
enim auscultantes nos paratos & exercitados esse colligent. 2. ad-
versario injicit terrorem. Hoc a. faciet potissimum, quando cum
exercitato agit, cum minus exercitato aliter agendum est, ne
timidum reddat, & ex respondente Tacitum faciat.

7. Argumenta memoriter proferat.

§. 5. Deinde verò objectionem urgeat. Nimis enim puerilis
quorundam mos est, qui data quacunque demum responsione,
subsistunt & ad aliud, ut loqui solent, se convertunt. Contra ta-
men non laudamus illos qui cum clamore eandem crambem re-
ponunt, licet quod excipiant non habeant. Tales enim in Respon-
dentem injurii sunt, quem accusant, cum tamen satisfecerit ob-
jectioni, & tempus inutiliter terunt, adeoque bonum publicum
impediunt, cum eo alia proferri potuerint.

§. 6. Ut autem in urgendo laudabiliter procedat speciatim
observanda hæc sunt:

1. Responsionem acceptam statim in mente examinet, at-
tendens, sitne ad formam, an ad materiam.

2. Si consequentia negatur, petat ut monstretur vitium,
hoc enim tenetur facere, cum aliàs semper hoc effugium quære-
re possit. Nec verò hîc valet illud: Affirmanti incumbit proba-
tio: cum illud dicitur de materia, non verò de forma intel-
ligendum sit.

3. Osten-

3. Oſtenſo formæ vitio, corrigatur, vel ſi non poſſit, planè dimittatur.

4. Si ad materiam respondeatur, videat, an ſit ad concluſionem, an ad præmiſſas.

5. Si ad concluſionem, attendat, an concluſio contradicat respondenti, nec ne. Si contradicat, urgeat ipſum ducendo ad impoſſibile, quia contradictoria concedat. Si verò concluſio theſi non ſit oppoſita, alio Tibi opus eſt ariete ad hoc thema expugnandum.

6. Si verò aliter respondeat ad concluſionem vel eam falſitatis arguendo vel aliquid in genere effutiendo, moneat ipſum, ut Logicè agat, hoc eſt, ad præmiſſas respondeat.

7. Si ad præmiſſas; videat an reſponderit diſtinguendo, & ex diſtinctione data limitando, an verò negando, an denique concedendo.

8. Si utramque præmiſſarum ceſſerit, inferat, etiam concluſionem eſſe concedendam, cum in bona forma ex veris non ſequatur falſum, ut docet *Ariſtot. l. 2. pr. c. 2.* quando ait: *ex falſis vera quidem colligi poteſt: ac ex pronuntiatis veris complexio falſa concludi nequit.*

9. Si alterutram vel utramque præmiſſarum neget, huius eſt probare.

10. Si diſtinguat, attendat, ſitne diſtinctione legitima, fundamentum habens & legitimè applicata, an illegitima & inepta. Si legitima ſit, & rectè applicata, adeoque argumentum ſolvat, acquieſcat & aliud proferat argumentum: ſi verò ſit illegitima, vel ad rem nihil faciat, hoc ipſum respondenti oſtendat.

C A P. VI.

Occurrens iis, quibus Opponens reſpondentem circumvenire poteſt.

C 2

§. 1. Cum

*Stratage-
mata oppo-
nentis..*

§. 1. Cum disputator aliquando Tentatorem agat, & varia adhibeat s. artificia s. calliditates expositis ejus officiis, illa breviter sunt declaranda.

§. 2. Primum est: Ex iis disputare principiis, in quibus noveris hospitem esse respondentem: Sic ex Philosophia & linguis orientalibus propugnacula peti possunt contra illum, qui utriusque rei est ignarus. Si respondens regerat, se non teneri respondere, quia in Philosophia ex ratione, in Theologia ex scriptura, in Jurisprudencia ex legibus &c. sit disputandum, Tu contra simula te induisse personam adversarii, cui hæc solutio non satisfaciat, cum is quocunque modo possit vincere allaboret: item, quod lumen naturæ & scripturæ itemq; leges justæ sibi invicem non repugnent. Respondens verò muniat se regerendo 1. adversarium in disputatione ordinariâ teneri leges disputantium observare. 2. modestè petat, ut à talibus absteat, quia ipse agnoscat, se non in omnibus exercitatum, sed suæ facultati studuisse: Neque id posse sibi vitio verti, quia hominis sit quædam ignorare. Si opponens sit pertinax, reponat ille, se certò scire, quòd & ipse quædam ignoret, sibiq; facile esse simili stratagemate & ipsi & aliis imponere.

§. 3. Secundum est: Onus probandi in respondentem transferre, sæpiùs enim hoc vel simili modo argumentantes audias: Quicquid nullum habet fundamentum, nulla ratione probari potest &c. illud est falsum, hæreticum &c: atqui hæc thesis &c: Ergò. In hoc & similibus discursibus minoris probatio ab opponente peti non potest, cum omnem rationem & fundamentum negaverit. Quid ergò faciendum Respondenti? Rationes & fundamenta ostendet? at sic in cautus ex se opponentem faciet & stationem suam relinquet. An verò nihil respondebit? At ita ridendum se præbebit. Quid ergò? Consilium nobis suppeditat Dn. Dannenbaverus in Idea B. D. p. 100. quando ait: proponet locum ubi legitur, sed manebit. respondens. non enim probat, sed textum ad oculum ostendit ac illustrat: jam oppoenti incumbit probare textum hunc illud non probare quod velit: Hoc si sequi nolueris, duas Tibi vias aperio, quibus huic strategemati occurri possit. Altera directa, ut in dis verbis regeras: Mea thesis habet fundamentum, & niti-

& nititur rationibus, potest probari &c. destruas ergò, si potes. Eodem namq; modo, quò ille simpliciter negat, respondens & quidem jure, potest affirmare, cum habeat partes favorabiles & præsupponat, quòd sua thesis habeat fundamenta, nec Opponens rationem contrariam attulerit, sed nudè negaverit. Altera indirecta, quæ est per inversionem, ita ut retorqueat in ipsum opponentem hoc vel simili modo: Quæ thesis nullo fundamento vel ratione potest destrui illa est vera. atqui mea &c: Ergò. Si jam opponens minorem neget, urgeas, ut proferat illud fundamentum vel rationem. Si protulerit ecce eruditè illud stragemma declinavisti & istum ad lineas redeigisti. Si non attulerit, vera manebit tua thesis, donec contrarium aliquo argumento probaverit.

§. 4. Quod si regerat opponens: si tua thesis habet fundamentum profer illud: reponas, te non teneri thesin probare, cum satis superq; tuo officio fungaris, si contraria argumenta solveris.

§. 5. Tertium est: non acquiescere responsione per inficiationem vel distinctionem factâ, sed instantiam s. exemplum contrarium petere quod universalitatem majoris infringat. Cui vel datâ instantiâ occurras, vel illud ipsum exemplum, de quo controvertitur, in defectu aliorum in memoriam ipsi revoces; quod aliquando fieri posse docet Philosoph. ipse *lib. 8. Topic. c. m. 2.*

§. 6. Quartum est: Mutilatè aut in peregrino sensu responsionem assumere, exinde argumentum construere & sic opponentem confundere: Hoc ut effugiat respondens, attentus sit, suam responsionem reperat, mentem explicet & vitium vel repetitionis vel expositionis ostendat.

§. 7. Quintum est: Non expectare, ut propositionis alterius vel utriusque petatur probatio, sed eam continuò subjicere, & novos subinde Prosyllogismos formare, idq; tam diu donec respondens cõfundatur & attendens ultimo discursui primum & medios negligat, adeoque à scopo planè abducatur. Hic respondens interpellat contendens, ut desistat, quia sibi moram quædam concedenda sit, ne confundatur, suiq; officii esse non tantum argumenta solvere, sed etiam priùs assumere, quò geminam opponentis mentem assequi valeat.

§. 8. Sextum : excerpere aliquid , quod fortè excidit imprudenti vel minus attento ; similia & exempla assumere, eaq; morose urgere. Occurrat Resp. 1. linguam præcurrisse mentem, si aliter excusari nequeat. 2. omne simile etiam esse dissimile , adeoque non extendendum extra scopum. 3. Exemplorum veritatem in disputationibus non semper attendi, sed sæpè adduci ea, quæ vulgò habentur vera, licet de iis dubitari queat.

§. 9. Septimum; Ad iram & alios affectus vehementiores, quibus iudicium perturbatur, concitare respondentem per crebras interpellationes, sarcasticas illusiones & clamores, cujus insigne exemplum nobis reliquit Tannerus in Colloquio Ratisbonensi. Respondens contra frena injiciat affectibus, modestè petens, ut rem ipsam placidè urgeat. Si pertinaciter pergat, sua modestiâ auditores sibi reddat benevolos, amicè rogatans, ne sibi vitio vertant, quia paratus sit ad respondendum, & nequaquam inscitiâ, sed importunitate ad silentium cogatur.

§. 10. Octavum: Multis quæstionibus Respondentem obruere. Ille reponat, se non teneri ad quasvis captiunculas respondere, contra in thesibus defendendis suam offerat promptitudinem.

§. 11. Nonum: Advulgi testimonium provocare. Ille contra aiat: 1. hujus iudicium sæpè esse erroneum. 2. loquendum quidem esse cum vulgo, sed sentiendum cum eruditis.

§. 12. Decimum: Allegare auctoritates præceptorum & sapientum: Contra hîc reponat: 1. non auctoritate, sed rationibus esse pugnandû. 2. se illos viros magni æstimare, salvâ tamen ipsorum existimatione ob rationes prægnantes discedere, cum & nemini sua scripta pro norma obtrudant, & ipsi in multis ab aliis discedant. Et 3. auctoritatem aliorum æquè doctorum afferat.

§. 13. Undecimum: Nova principia fingere & pro veris venditare. Quod vitium Photinianis perquam familiare est, ut videre licet apud *Dn. Keslerum in Log. Phot. pag. m. 3.* At quia fundamento carent eâ felicitate rejiciuntur, qua proferuntur.

§. 14. Duo-

§. 14. Duodecimum: Ex alienis principiis disputare. Reponat ille contra, transitum de genere in genus à Philosopho esse prohibitum, adeoque ex principiis Physicis malè fidei articulos negari. Unde peccant v. g. Photiniani, quando ex illo: Unius generatio est alterius corruptio, æternam Filii Dei generationem destruere conantur, cum illud axiomâ de Physicâ generatione intelligendum sit.

§. 15. Decimum tertium: Canones limitatè intelligendos absolutè proferre & ex iis conclusionem inferre. Ostendendus ergò genuinus Canonis alicujus sensus & dextra applicatio.

§. 16. Decimum quartum: Provocare ad sensum, & experientiam. Contrà tẽmunias sensuum fallacias accusando & contraria exempla experientiâ observata proferendo.

§. 17. Decimum quintum: Vitiosâ formâ insidias parare. Ubi tamen judicium adhiberi debet, ne primo intuitu cuivis appareat vitium. Hoc autem feliciter aliquis adhibebit, si 1. in modalibus & exponibilibus, in quibus pauci sunt exercitati, id ipsum præstet. 2. si non manifestè veras præmissas ponat. Sic enim respondens magis ad materiam attentus probationem petet. Quo factò duobus modis ipsum aggredi potest, altero, quòd malè respondeat ad materiam neglecta formâ: altero, dum probaverit præmissam quæ videbatur dubia. Utrumque facillè vitabit, qui in sophismatis solvendis & disputando est exercitatus.

§. 18. Ultimum est: Propositionem in qua fraus delitescit, occultare. Cujus exemplum nobis suppeditat Jesuita Hungerus in Colloq. Ratisb. citante Dn. Dannenb. in Idea B. D. p. 109. quando suppressâ majore falsâ ita contra nostrates insurgerebat: Moses ordinavit Aaronem. Ergò ipso superior fuit. Quo in passu suppleatur illa propositio, quæ fraude & astutiâ opponentis erat omissa.

CAPUT VII.

Exhibens Officia Respondentis cum quibusdam annexis quæstionibus.

§. 1. Se

Officia Re-
spondentis.

§. 1. Sequuntur Officia Respondentis, quæ itidem traduntur præceptis generalibus & specialibus.

§. 2. Primum generale est: Argumentum Opponentis, vel quæstionem interrogantis modestè repetat & assumat. Rationes desideras? Sic 1. constabit mentem opponentis rectè esse perceptam. 2. locus cogitandi de responsione dabitur. 3. opponens melius ruminari potest ea, quæ huic argumento vult subjicere. 4. auditores rectius nervum argumenti percipient.

§. 3. Ut autem commendabilem te præstes in assumendo, facias id 1. sine omni verborum ambiguitate, tergiversatione & prolixitate. 2. modestè. 3. absque sensus matatione. 4. cum quadam morâ propter auditores & ut ipse melius responsionem meditari queas. 5. voce clara, distincta & perspicua, ut alii mentem apprehendant.

§. 4. Alterum præceptum generale est: ad argumenta vel quæstiones prolatas respondeat. Ut verò boni respondentis vices gerat, sequentia notet:

1. Quæstionem alienam à scopo rejiciat, multiplicem distinguat.

2. Squædam in genere contra theses exspuat, amicè opponentem roget, ut syllogisticè agat, vel ipse syllogismis includat, & postea respondeat.

3. Si argumentum proferat ante omnia formam attendat. Quæ si vitiosa est, vitium ostendendum est & Canon, contra quem peccat, proferendus. In dicitur autem malæ formæ est, si conclusio falsa sit premissis veris existentibus.

4. Montrato formæ vitio, nisi corrigatur, integrum argumentum tanquàm ineptum rejiciatur.

5. Si forma sit legitima attendat conclusionem, an illa sit contra thesin, nec ne.

6. Si thesi non contradicat, opponentem ignorationis ellenchi accuset: si verò sit contra thesin præmissas accedat, attendens, ex quibus principiis conclusionem probaverit, an μεταβασι commiserit, & quomodo medium cum extremis coherat?

7. Si falsò cohæreat cum uno vel alterutro extremorum, respondeat ad præmissas directè per inficiationem, simulq; ejus rationem addat: indirectè vel per instantiam vel per inversionem; adeoque probationem petat.

8. Si medium verè, non simpliciter, sed sane sensu cum extremis cohæreat, distinctione rem expediat, & ex eâ majorem limitet, limitatione facta vel minorem neget, vel etiam sano sensu totum argumentum concedat. Si denique medium cum utroque extremo absolutè verè cohæreat, victoria opponenti cessit, adeoque totum argumentum concedendum est.

9. In materia examinanda prior debet esse cura majoris. Hæc enim plerunque est fons falsæ conclusionis. In majori ergò distinguendum est. Quod si enim major simpliciter concedatur, & ad minorem respondeatur distinctione vel per se vel per accidens, simpliciter vel secundum quid, vel simili modo, nihil proficiet respondens, sed potius suâ incepta limitatione minoris formam bonam vitiabit.

10. Nunquam negatione respondeat, si distinctione & limitatione argumentum solvi queat. Leniora enim media, ubi commodè possunt, semper duriusculis præferenda sunt, & major est eruditio in distinctione ac limitatione, quàm inficiatione, quæ ab omnibus etiam stultis adhiberi potest.

11. Minor non limitetur priusquam major fuerit limitata, aliàs enim vitium in forma orietur, cum omnis limitatio propositionis limitativæ ad prædicatum pertineat.

§. 4. Atque hæc sunt officia Respondentis in genere. Præsidis seu Moderatoris in specie sunt inferiorem respondentem & opponentem dirigere, parti indigenti succurrere, & totam litem dirimere.

§. 5. Sed jam quæstiones quasdam subjicere lubet. 1. *Quæritur* ergò. An ille rectè respondeat vel negando vel distingvendo, regerit se non Logicè, sed hoc vel illo modo disputare, qui quando urgetur ut ad præmissas respondeat? *Quæstiones* Resp. Nihil minus agit, sed potius suam ignorantiam profitetur, sibiq; contradicit, ut ex supradictis constat.

§. 6. Q. 2. Quid sit de illis judicandum, qui vitio definitionis

D

vel

vel divisionis demonstrato, distinguunt inter definitionem vel divisionem Logicam & v. g. Physicam, & sic putant se sufficienter respondisse? Resp. Ridiculum! Si enim est definitio vel divisio, utique constabit conceptu determinabili & determinante essentiali rei explicantibus, legitimisq; partibus. Sin minus, ne nomen quidem definitionis vel divisionis meretur.

§. 7. Q. 3. An rectè respondeat, qui bona existente formâ, negat consequentiam? Resp. Pessimè. Consequentia enim ad formam argumentandi pertinet.

§. 8. Q. 4. An ille satisfaciatur argumento, qui fortius argumentum opponit, & suam thesin probat? Resp. Nequaquam. Non enim argumentum solvit, sed potius suam inscitiam prodit.

§. 9. Q. 5. An rectè faciant illi, qui neglectâ formâ respondent ad materiam? N. quia i. agunt contra ordinem qui requirit, ut forma tanquam communis priùs examinetur. 2. veritatem sæpè in præsentissimum ducunt periculum, cum neglecta formâ sæpè nihil responderi possit Sophistis, ut exemplis infinitis ostendere possemus, nisi chartæ prohiberet angustia.

§. 10. Q. 6. An quandoque ad conclusionem respondere liceat! A. quia i. sæpè conclusio vitiosè infertur. 2. non rarò thesi non est opposita, quibus casibus omninò ad Conclusionem responderi potest. Illi tamen falsi sunt, qui in legitima forma & conclusione rectè oppositâ in genere aliquid effutiunt conclusionem negando, cum interim præmissas negare non audeant.

§. 11. Q. 7. An rectè statim concedatur rotum argumentum, quando conclusio non est contra thesin? N. Contingere enim potest, ut utraque vel alterutrâ præmissarum falsissima existente, verissima sit Conclusio, quæ thesi non contradicat. Nam *ex falsis potest sequi verum, licet ex veris non possit sequi falsum, ut docet Philosophus l. 2. pr. c. 2.*

§. 12. Q. 8. An illi nodum tangant, qui ad allatam aliquam instantiam regerunt: est diversa ratio, est disparitas in exemplis, est exemplum dissimile & alienum, de hoc non disputamus? Resp. Ita multos sæpissimè respondentes audimus. Sed i. hæc responsio est aliena, quia non quærebatur de similitudine & dissimilitudine,

ne,

ne, sed de majoris universalitate, quæ rectè etiam per unicum exemplum contrarium solvitur. 2. est contra ipsum opponentem. Cum enim nec formam, nec minoris veritatem reprehendere queat, ipse tacitè fatetur, majorem falsæ conclusionis causam esse.

§. 13. Q. 9. An respondentis sit probare? Resp. Distingvendo, vel enim intelligi potest de thesibus vel de responsione ad objectiones & instatias datâ. Quod attinet theses ipsas, illas probare non tenetur de jure. Rationes sunt, quia 1. Respondens habet partes favorabiles. Ut enim in foro reus: ita in scholâ Respondens favorabiles obtinet partes. 2. illas ipsas eo fine proposuit, ut eandem defensionem susciperet. Ad probationem ergò illarum non obligatur. 3. non præsumitur ipsi aliquid esse permissum defendere quod falsum sit vel absurdum. 4. aliàs cederet de suo jure, cum sine causa periculo se subiceret, 5. suo officio & personæ satisfecit, si objectiones ita solverit & diluerit, ut jure nihil retorqueri amplius possit. Interim tamen suæ negationis vel distinctionis rationem & fundamentum ostendere tenetur. Sic enim negandum, ut pateat jure id factum esse, cum aliàs stultorum more omnia ab ipso negari possent. Et ita distinguendum ac limitandum est, ut appareat legitimam legitimeq; applicatam fuisse distinctionum.

C A P. VIII.

Proponens artificia & calliditates Respondentis.

§. 1. Deniq; artificia & calliditates Respondentis recensebimus, quorum primum atque insigne est inversio & retorsio argumentis in ipsum adversarium. Atque hoc stratagema contra Pontificios & alios hujus seculi hæreticos quàm sæpè rectè adhiberi potest.

§. 2. Secundum: Negare consequentiam. Quod feliciter adhiberi potest in defectu responsionis apud opponentem Logicæ ignarum. Cautus autem opponens acquirit negationis rationem & urget, ut vitium Consequentia ostendat. Quod rectissimè observavit.

servavit Dn. D. Hunnius p. m. qui Tannero in Colloq. Ratisb. in optimâ forma, cum manifesta esset materia, ut non haberet quod responderet, consequentiam magna cum vociferatione sapius neganti, & per hoc effugium quærenti, regerebat, Consequentiam non nudè esse negandam, sed etiam negationis rationem, assignandam & vitium apertè monstrandum esse.

§. 3. Tertium est: Non respondere ad præmissas, sed vel in genere aliquid effutire vel suam thesin probare. Sed cautus opponens urgebit, quòd si non solvatur argumentum: sed Logicè hoc est, ad præmissas respondendum esse, modo supra explicato.

§. 4. Quartum est: Nullos nisi primæ figuræ syllogismos admittere, adeoque syllogismos hypotheticos, item secundæ & tertiæ figuræ rejicere. Opponens contra accusabit ipsum, quòd principia neget, cum omnium doctorum consensu nunquam in his formis ex veris præmissis falsa sequatur conclusio.

§. 5. Quintum est: Ad iram opponentem commovere sarcasticè vilitatem argumenti irridendo. Contra hic urgeat, ut ad præmissas respondeat, quia sarcasticis illusionibus, quæ sæpè velum inscitiae & malæ causæ indicium esse solent, objectio non solvatur.

§. 6. Sextum est: In infinitum petere probationes & semper alterutram præmissarum negare, donec probationes deficient & opponens confundatur vel in errorem incidat, & eundem postea speciosè urgere. Opponens contra instet, ut non tantum neget, sed etiã certam atq; firmam suæ negationis rationem proferat, cum aliàs sic quælibet, etiam firmissima argumenta, eludi possent.

§. 7. Denique illam propositionem Tentatores & Sophistæ negare solent, ad cujus probationem opponentem minus esse instructum noverint. Cui strategemati occurret, si ad utramq; præmissam firmas in promptu habeat probationes. Tantum!

Soli DEO gloria!

Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

SPUTAN-
E

gicus,

te V Vitte-

imine,

hilosophicâ

ramini

ASELIUS,

nctus,

omontano Borusso.

tut.

Æ,

O T H I, Acad. Typogr.

II.

